



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

46. De viris ac feminias sacris propositum transgredientibus sacrum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

De viris ac feminis sacris propositum trans-
gredientibus sacrum. *Concilium
Toletanum.*

Concil. Tolet.
6. c. 6.
Burchard. lib.
8. c. 14.

XLVI. Proclivis cursus est à voluntate, & imitatrix natura vitiorum. Quamobrem quisquis virorum vel mulierum habitum induerint semel vel induerunt spontaneè religiosum, aut si vir deditus Ecclesiæ choro, vel femina fuerit aut fuit delegata puellarum monasterio, in utroque sexu prævaricator ad propositum invitatus reverti cogatur, ut vir detondeatur, & puella monasterium ingrediatur. Si autem quolibet patrocinio desertores permanere voluerint, sacerdotali sententia à Christianorum cœtu habeantur extorres, ut nec locus eis ullus sit communis. Viduas quoque universalis jamdudum statuit synodus professionum vel habitus sui desertrices ut superiori sententia condemnentur.

Ut viduæ vel virgines continentiam professæ non nubant. *Item ejusdem Papæ Gelasij ad Sicilienses Episcopos.*

Symmach. ep.
1. c. 5.
Burchard. lib.
8. c. 46.

XLVII. Neque viduas ad nuptias transire patimur quæ in religioso proposito diuturna observatione permanserint. Similiter virgines nubere prohibemus quas annis plurimis in monasteriis ætatem peregisse constiterit.

De his qui velatas Deo consecratas in conjugium duxerint. *Cap. xxiii.*

Concil. Tri-
bur. c. 23.

XLVIII. Si quis sacro velamine consecratam in conjugium duxerit, & post dictum